

maxime in eo uersari, quando partes, resque inter se diuersae, ita disponuntur, ut sua quibuscumque loca rite tribuantur. Nobis in praesenti demonstrare sufficiat, uariantium numerandi ordinem in diuino codice obseruari. Vel enim liberi eo ordine, quo nati sunt, recensentur, uel, qui dignitate ceteros antecellunt, primo loco ponuntur, uel denique eiusdem nomen ultimum locum obtinet, siue natu primus, siue amplitudine aliis aut praestantior, aut inferior fuerit. Testes, quibus nitor, plurimos habeo, qui diuinis literas studio singulari pariter, ac indefesso legerunt, easdemque pie eruditque explarunt.

§. III.

Vtrum autem *numerus ordoque filiorum Noachi* certo definiri queat, inter multos eosdemque eruditos, ualde disceptatur. Nescio autem, quid in mentem uenerit nonnullis, qui tam dubiam sentiendi rationem ingrediuntur, ibi in primis, ubi praejudicata hominum opinio pondus habet, saepissimeque dominatur. Omnia in medio relinquenda esse contendunt, nec sibi pudori ducunt, eadem obscura, et difficultatibus implicata nominare. Quot itaque eorum fuerint, quoque ordine collocandi sint, aliis diiudicandum relinquunt, quod, ut putant, nonnisi feliciori quadam coniectura assequuntur. Taceo eos, qui Noachum, aliam, mortua prima, uxorem in matrimonio habuisse, sibi persuadere patiuntur. Neque referam, quod multi amplectuntur, et credunt, virum sanctissimum, plures liberos habuisse, eosdemque iam ante diluuium iterum decessisse. Quis autem non uidet, homines hisce dubiis, quae sibi mentis errore fingunt, libenter delectari, nec doctrinae operam dare, ut ipsis possint extorqueri.

A. 3

§. IV.